



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Bugenhagenii Pomerani Annotationes ab ipso iam
emissæ. In Deuteronomium**

Bugenhagen, Johannes

Basileae

VD16 B 9247

Capvt XII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36133

Sic Iacob erigebat tumulū testimoniij, Gen. 32. Et duæ semis tribus altare ad Iordanem.

CAPVT XII.

Vides quæ uelit Moyses oīa fieri ex fide, sine qua oīa opera etiam legis sunt impietas. Quid enim hactenus dixit quod nō ad fidem attineat? Necessse erat hoc ceterū fundamentū præstrui anteq̄ de legis operibus aliquid meminisset, ut legis hypocrisim condemnaret quæ in opera respicit relicta fide, cum tamen omnia alia sine primo præcepto nihil sint, quid enim deum coles si deum non habes? Iam uero cum singulares fert leges usq̄ adeo à primo fundamento non recedit, ut clare ostendat totum ædificium illi fundamento inniti. Alioqui cur in primis contra idola scriberet & de loco cultus dei? Item, cap. sequenti de falso propheta & seductoribus &c. Tota uero lex Moysi secundū Christum in duas leges diuisa est. Altera est, Diliges dominū deum &c. Altera, Diliges proximū &c. illa prima tabula, est hæc secūda. In his est regnū iustitiæ dei. Omnia uero & tam multiplicia legis diuinæ opera externa sunt signa tantū internæ iustitiæ, quibus ostenderunt pij sese credere deo, sese diligere proximū, Hypocritæ autē relicta ueritate, ex signis quærebāt ex lege cōtra legem iustitiā, de quo supra monuimus. Iarcho qui spi

ritum habebant sic omnia faciebant quia uerbū dei ita uoluit ut tamen ubi necesse erat in externis dispensaret, ut Dauid qui cū suis edebat panes propositionis. Item, externa cogebat sæpe necessitas omittere, infirmus non potuit adire Hierusalem ter in anno, item in captiuitate Babylonica non potuerunt sacrificare & festa celebrare principalia &c. De diligendo uero deo nulla unq̄ fuit dispensatio, sed neq; de diligendo proximo nisi q̄ contra deum diligere proximum lex uetat, id quod iā nō esset diligere sed odisse salutē eius &c. Hinc facile uidere licet quæ lex fuerit æterna, quæ nō, quæ ad spiritū attinet æterna est, quæ non pōt nisi spiritu libero impleri, id qd' est iam legē non esse legē, quæ uero ad opera externa respicit, personis, rebus, tēporibus, locis alligata, iam oīno nō ligat iustitia spūs reuelata, quæ opa ne Iudæi quidē hodie obseruāt nec obseruare possunt, nisi uelint facere cōtra legē bis impij &c.

Subuertite. Primum externorum operū est de alieno cultu dei subuertendo quem ex dei uerbo non potes scire an deo placeat. Id quod illi gladio & igni fecerunt, nos gladio spiritus facere debemus, ut omnis superstitio è consciētis hominū cadat, alioqui nisi uerbo oīa extirpaueris facilis erit ad uomitum reditus, de quo diximus supra ca. 7. Atq; hoc est quod ne noīa quidem idolorū superesse uult in locis illis, ne monumentis superstitibus redeant ad errorē uel ipsi uel posteri.

Non facietis ita.

Secundum opus externū cum primo cohæret imò ex eo sequitur, nempe ut, extirpato cultu quem deus non uult, colatur ritu quo ipse præscribit, ne scilicet quisq; sibi eligat hunc uel illū modū colendi deū, ut unicuiq; rectū uisum fuerit, ut nostri hodie hypocritæ faciunt, sed suscipiat cum modū quem ipse dominus suo uerbo iubet & eū obseruet nō hic aut illic ædificando sacella sed in uno tantū loco quē ipse elegerit. Atq; hoc agit usq; ad capitis finem, prohibens ne sic sentiant. Gentes sic colunt deos suos ergo & nos sic colemus non deos earum sed dominū deum nostrū, quod illæ ad impietatem, nos uertemus ad pietatem. Istam prudentiam carnis & sapientiā animalem quæ hodie, ut & tunc, regnat, nō uult deus, & simpliciter uult ut nō sequamur adinuēctiones humanas, sed uerbū suum. Habes itaq; in hoc cap. q. extirpatis è conscientijs hominū per uerbū dei falsis opinionibus iustitiæ, docendi sunt colere eum uerè secundū uerbum eius, quod hodie nihil nobis præscribit quàm ut credamus in eum quem ille misit, quē nunc uult in spiritu & ueritate adorari non Hierosolimis aut externis sacrificijs &c.

Sed ad locum &c.

Arca domini primo fuit in tribu Ephraim in Silo cum tabernaculo domini plusquā tricentis annis, quē locū abiicit dominus, ut dicitur Hiere. 7. & psal. 77. Et re

pulit tabernaculū Ioseph & tribū Eph. & c. Tempore uero intermedio postq̄ à Philistæis arca capta & redi-
 cta est. 1. Reg. 4. & c. usq; ad illud tēpus quando David
 reuelatiōe diuina induxit eam in Hierusalē & post eū
 Salomon in templū, translata est ad diuersa loca, &
 ideo non in uno loco sacrificatū, inde non licuit alibi
 nisi in Hierusalē sacrificare, quia hic erat locus quem
 elegerat dominus. 2. Para. 6. Atq; hoc ideo, q̄a caro per
 sapientiā animalē & hypocrisim non potest se contine-
 re quin adinueniat semp̄ aliquid noui cultus diuini in
 locis diuersis, operibus, & diebus, quēadmodū hebrai
 uidebant in gentibus, quēadmodū uidemus in nostris,
 antiquas fastidimus prae nouis, ut oīa superstitione reple-
 amus & insuper impietate dū in talia cōfidimus. Accir-
 co deus hoībus cōsulens, externū cultum non abstulit,
 carnales enim aliū intelligere nō potuerūt, sed lege eos
 coeruit ut non fācerēt secundū suam, ut uocāt, bonā
 intentionē quod ipsis rectū & sanctū uidetur, sed se-
 cundū uerbum dei, ut nō passim sed tantū in uno loco
 sacrificarent & ter in anno cōuenirent & c. Ut sic deo
 curante qui uidebatur carnalis externusq; cultus, nō
 esset corā deo in pijs carnalis sed interior & spūalis,
 nēpe qui scirent sese nihil facere secundū suam uolum-
 tatē sed oīa secundū dei uolūtātē, de qua certi erāt in
 uerbo eius, Hi nihil confidebant in illis operibus, quia
 uerbū dei hoc nō continebat cui nō potuerūt addere,

*sed confidebāt in uerbo dei cui credētes iustificabātur
 ut nos, & ita ipso externo cultu discebāt adorare deū
 in spū quæ est adoratio uera. Alij uero respiciebāt tan-
 tū in opera &c. ut supra diximus. Præterea quia pro-
 pensus erat ille populus ad carnalē cultū & ubi nō est
 spūs illic non pōt aliter esse, dominus deus suo uerbo
 tam multiplicia illis præscripsit opa ut ne liceret quidē
 illis ad alia diuertere, ut ita uel ipsa occupatiōe tam us-
 ria continerētur in uerbo dei donec spū crescerēt. Ex
 his uides nostras adinuētiōnes quibus ascribimus iusti-
 tiā mere esse gētiles & impias, quæ nos auocāt à spū sē
 dei ad quā opera legis prouocabāt, illa requirebāt uer-
 bū dei, nostra nō solū nō habēt sed etiā abiiciūt. Porrō
 his significatū est iustitia spūs reuelata iā amplius ex-
 terna lege nō esse opus, secundū interpretationē oīna
 ferē pphetarū qui legis hypocrisim secundū legē dam-
 nāt. Quid enim est ista loci præscriptio quā q̄ cessante
 loco cessare necesse sacrificia externa? & si sacrificia
 externa quæ deus mādauit nō erūt necessaria, ne cete-
 ra quidē externa necessaria sunt quæ eque deus mādā-
 uit. Manebūt ergo solū illa præcepta quæ ad spiritū at-
 tinēt quæ continētur in decalogo à deo scripto, quæ ne
 ipsa quidē amplius præcepta sunt si spū seruētur, quia
 ubi spiritus domini ibi libertas, quæ tamē libertas sub-
 inde augetur dum subinde crescimus spū, perficietur
 autē dum à carne absoluti fuerimus, ut nemo securita-*

te quasi satur retrocedat, Beati enim qui esuriunt &c.
Præterea uno loco & uno populo illic cōgregato sig-
nificabat deus unā ecclesiam absq; sectis, quæ oīa agat
secundū uerbū dei, extra quā nihil gratū deo. Hinc &
in scripturis per Hierusalē, Sion, templū, populū Isra-
ēl, Iacob, Iuda, filios Abrahamæ, credētes significantur.

Vt ponat &c.]. i. ut ibi inuocetur. [Et habitet]
secundū promissionē. Exo. 25. & 29. & leui. 26.

Victimas. sicut & infra hostias, uocat oīa alia
sacrificia præter holocausta. Holocausta incēdebantur
& tota cōburebantur deo in odorem suauitatis, sicut
dicit lex in leuitico. Ego quid dicerem illū nitorem nisi
foetorē? sed per hoc acceptatio dei significatur, qui dici-
tur id sentire quod ipse facit sentire credētes. Odor er-
go suauitatis ex sacrificio uenit, dum deus offerentium
corda cum iucūdo affectu facit sentire dei acceptiōē.
Sentit hic cor deū, & afficitur dulcedine spiritus, quan-
do deo gratū credit nostrū opus, nostrāmq; doctrinā.
Hoc holocaustū uere factum est Christus qui obtulit se-
metipsum deo patri in odorem suauitatis. Ephe. 5. pro-
pheta nobis holocausta & sacrificia iustitiæ cōmen-
dāt, ut quicquid facimus ex iustitia. i. fide faciam⁹, et nihil
iustitiæ nobis sed omnē iustitiā deo referamus acceptā.

Qui primitias manuū suarum, id est, laboris sui &
primogenita offert, agnoscit non hæc solum sed & sea-
quentia esse dei, id quod & decimis testatur &c.

Vota] in lege nulla erant, nisi quæ statim potuerūt solui. Vnū perpetuum legis, *Leui. 27.* quod iubet deus mutari. Nouit enim quid hoī profit qui condidit &c.

Donaria] sunt spontaneæ oblationes, nō lege præcedentis. *Comedetis &c.* quid ista aliud uoluerūt (ceptæ, quæ ut cum bona conscientia læti & gratias agentes utamur in conspectu domini creaturis eius, sine sollicitudine acquirendi, sine cogitatione perdendi, sine conscientia peccati, sine timore inimicorū, ut omnis uita nostra sit læta et grata deo, quemadmodū docet *Ecclesiastes* & *Paulus*, & *Christus*? Hypocrite aliter, qui tandem dicūt, blasphemātes, *Mala. 3.* Vanus est qui seruit deo & quod emolimentū quod custodiimus præcepta eius, & ambulauimus tristes corā domino exercituū &c.

Atque leuites.] Hodie uerbi ministris debetur uictus ex labore alieno, reliquis non, nisi qui non possunt parare sibi &c. Si autē.] Hoc addit ne ex prædictis uideretur eis prohibitus usus carniū extra Hierusalē.

Siue immundū. Ne intelligeres de immundicia, quæ prohibita est edi. *Leui. 11.* Expressit noster translator id quod est in Hebræo, intelligi scilicet de immundicia uel mūdicia, quæ respicitur ad immolandum.

Sicut capream & ceruum, quæ eduntur & non immolantur.

Absque esu sanguinis] de quo infra dicemus statim.

Non poteris. De hoc loco dicam cap. 14. Vide

tur enim legi Moysi aliàs lat. e. contrarius.

Quādo dilatauerit &c. In necessitate domi-
nus dispensat & dispē sari uult de lege sua in rebus ex-
ternis, significans se aliud in lege requirere & omnia
esse pro salute nostra, quæ carni damna uidentur, ita
tamē ut etiā in dispensatione nō obliuiscantur ē cuius
manu accipiāt beneficiū. Nam infra hæc interpretatur
ca. 14. ut scilicet preciū primitiuorū feratur in Hieru-
salem &c.

Et mūdus & immūdus.

Hæ mundiciæ & immūditiæ erāt meræ carnales, Im-
mundus reddebatur aliquis ex contactu mortui, mor-
ticini, menstruæ mulieris &c. Huic non licebat edere
ex pacificis imolatis, Leui. 7. Hoc significasse uidetur
spūs dei, & immundi. i. qui nondū sunt fide purificati
pctōres, qui tamē sunt ex familia nostra. i. nō contem-
nūt uerbū, non sunt à nostro cōuictō abijciēdi alioquit
quō cōuerterētur per nos ad deū? Et certe illi immūdi
cupiebāt mūdificari. Ita & Christus edebat cū publi-
canis & pctōribus. Et Paulus dicit, Si quis infidelium
uocauerit uos ad cœnā, ite. Hoc tamē eis prædicandū
& nisi fide purificati fuerint non erūt membra Christi
sue ecclesiæ, quia illis immūdis non licebat ingredi in
templū celebrare phasē &c. Qui autē nolunt mūdi-
ficari, eiiciendi sunt, ut erubescāt secūdū Paulū. Vnde
est sententia Christi. Sit tibi sicut Ethnicus & publica-
nus. Et Paulus, Cū hmōi nec cibū sumite, donec resipia-
scat.

Ne sanguinem.

Hoc præceptū iam dederat dominus post diluuium, quemadmodū & multa alia obseruata leguntur ante legislationē Moysi, ut de mundis & immundis animā tibus, de sacrificādo, de primogenitis, decimis, hostijs pacificis &c. quæ à patribus olim per manus acceperunt posteri, iam uero serè oblitterata, imò penè in idolatriā uersa, uerbo domini innouantur ne quid fiat ab ipso populo absq; fide uerbi dei.

Sāguinē uetuit edi, ut ipsa sanguinis abstinētia horrore faceret effundēdi sanguinis humani, ad qd' propensus est quisquis spū uacat, & ut manu mitis appareat, tamen nō obscurū est quī in pphetis uiri sanguinū nominētur, nēpe qui uellēt quotquot de pietate recte sentiūt cōtra ipsorū cupiditatē esse perditos &c.

Anima in scripturis significat uitam naturalē quæ est in sanguine & sanguine effuso uel infecto moritur, nō enim pōt cōstare uita naturalis sine sanguine sano. Hinc anima in scripturis dicitur homo uiuēs, edens, bibens, dormiēs, faciēs aliquid. Hinc Paulus uocat Animalē hominē. Sic Christus dicit, Qui amat animā &c. Et ego pono animā &c. Spūs uero hoīs est qui pōt separari & à corpore & à sanguine, ut illic, In manus tuas cōmendo spiritū meum, quē spiritum philosophi animam uocant, quorū aliqui sentiunt animam, id est spiritum esse in sanguine, sed errant, nec habēt ex hoc

textu patrocinium. Et quia anima hanc uitam significat, sit ut nonnunquam pro uita spiritus, sed metaphorice accipiatur, ut uidere licet sepe in psalmis.

Hoc praeceptum a deo, quod ad externam speciem attinet, infixerunt animis Iudaei, ut nisi gentes idem obseruassent cum eis in primitiua ecclesia nequaquam potuissent cum eis conuenire, qui ex Iudaeis crediderant. Ideo scandali ratio et charitas postulabat, ut gentes à sanguine et suffocato abstinerent propter credentes Iudaeos, ab immolatis uero non solum propter Iudaeos, sed et propter infirmos fratres, et propter incredulas gentes, ne quid tribuere uideretur idolis. A fornicatione autem et propter proximū et propter dei praeceptū. Omnia autem praeceptū dei requirit etc.

Sanctificata. i. separata et uota deo, non uult nisi in loco sancto edi, ut differentiam noris inter ea quae dei sunt, et ea quae humana etc.

In conspectu dei non tuo.

Quia abominationes &c.

Quod lustrauerint filios per ignē, infra uides ca. 18. quod imitatus est Ahas. 4. Regū. 16. et Manasses ibidem. 21. Quod etiā occiderint Canan. ei filios et filias demonijs et Iudaei impij in hoc eos imitati sunt, habes psal. 105. Et immolauerunt etc. Hic credo operculum inuenisse Iudaeos suae impietati. Cur non faceremus sic, quod Abraham fecit immolando filium? Ita hodie qui

uere sanctorū uere opera bona, in speciem imitantur
 sine spiritu, ad quæ illi ducebantur spiritu. Illi per fidē
 & charitatem, quæadmodū Abraham qui iuebatur
 à deo. Nostri nulla necessitate aut utilitate proximi fa-
 ciunt sectas perditionis, ut dicit Petrus. Alij dixerunt,
 Cur non faceremus acceptum deo opus, quemadmodū
 & Iepthe dux Israël, qui habebat spiritum dei facie-
 bat, qui cōburebat uoto in holocaustum domino filiā
 suam. Iudicum. 11. Hi sunt qui uolunt imitari sanctorū
 errores, non uidentes uotum Iepthe non solum incau-
 tum fuisse, sed etiam impium, qui & postea non doluit
 se impie uouisse, sed incaute uouisse, ubi potius se quā
 deum respexit, tamen conscientia urgente, quia deum
 timuit, eodem errore compleuit quo uouerat, nō ad-
 erat illic qui moneret ut errati & nominis domini in-
 uanum assumpti ueniam postularet. Quæ hodie uota
 iactant non sunt dissimilia, nisi q̄ in maiorem impieta-
 tem exeunt &c. Immolantur & hic filij & filie ut à
 deo sint alieni, & in aliud confidunt abiecto dei uer-
 bo, tamen per hoc iudicantur deo proximi futuri, sed
 unde sic iudicantur? ex humana opinione, somnio &
 mendacio, nō ex dei uerbo, imò uerbum dei tales u-
 stitias damnat, quid enim non damnaret mendacium
 ueritas? &c.

Uotum uotum